



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Ioannis Schildi[i] De Caucis

Schild, Johannes

Lvgd. Batav., 1649

Cap. III. Deorum Deus à Caucis, nomine Duth, invocatus. Vnde Ioduth, nota subitaneo pavefactis infortunio formula. Nec à publicis exulare jussa moribus. Gentiles, ab atrociori calamitate deprehensos, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13007**

*nec simulacrum Deo, aut templum, sic tradidère majores, aram tantum & reverentiam.* Lapsu deinde seculorum, qui vel imperitiores antiquæ superstitionis erant, vel novo eam suspendere paxillo conabantur, ex adverso luci vernaculam dictionem, in proprium Deo alicui vocabulum transfudère. *Ham* Germano lucum nemúsve denotabat: unde trans Albim opposita Caucis urbs Hamburgi cœpta est appellatione donari: & in ipsa Chaucide *Stolham, Esensham, Hamhusen* perituræ vestigia vocis odoranti repræsentant. Hama igitur Saxonum esto Nemorensis. Quamquam de tali nostrorum nemore libenter illud ex Ovidii Metamorphosi repetam:

*Quis Deus incertum est, habitat Deus.*

Latini, quod apprime opinioni nostræ propitium est, Dianam à *παλῆς* appellitare *Nemorem* consueverant, à nemore, quod cultui consecratum Deæ intelligebant: itémque sacerdotem ejus *regem Nemoremsem*, quem memorat in Caligulæ vita Suetonius.

## CAP. III.

*Deorum Deus à Caucis, nomine Duth, invocatus. Vnde Ioduth, nota subitaneo pavefactis infortunio formula. Nec à publicis exulare jussa moribus. Gentiles, ab atrocior calamitate deprehensos, ad unius excitatos fuisse mentionem Dei. Ooster Saxonum Dea, sollemniter mense Aprili culta, unde Paschatis festum Saxonibus Ooster. Sacris Christianis initiatos, umbras subinde quasdam*

*Vanania retinere gentilitatis. Præsertim si qui seriùs existère tales, aut armis adacti. Vt oppugnati à Crucigerulis, ac Saxones. Diu fœdatus residui paganismi maculâ Bremanus. Cum Marte Mercurius, inter numina Germana. Pugna, super eo, Taciti ac Cæsaris. Honori Mercurii lapidum cumuli cœdori dicati. Testibus Hesychio, Eustathio, Suida, aliis. Ejus, in Bremana dicecesi, liquidissima superesse documenta ritus. VVodan Mercurius, VVonda Lipsio. Vulnere gaudens, ac cade. Quippe Mercurium ac Martem bello junctim Germanos imposuisse. VVonda bellator Sueoni Deus. Fricco, Frea, nuptiarum domina. Mars Saxoni litatus. Hesi vetusto nomine cognitus Germano. Sacra ta forsitan ei via militaris Hesevveg aut Hessevveg. Priscorum abolitio nominum plurima sepelit antiquarum documenta superstitionum.*

**H**Astenus adnixi Caucorum eruere Deos, qui, ut aperiebant sese colentium usibus, ita adspici ab iis haudquaquam refugiebant, nunc ad eos vela dirigimus, quos, sensuum exclusâ sequestratione, sola creduntur animorum acie contemplati. Summum illud & æternum numen, neque mutabile neque interiturum, sicut omnem sui intellectum nulli propemodum subducere populorum, ita ne Germanis quidem sustinuit eripere meis, utcunque ab iis nomine *Duth* invocatum. A quo, velut à fonte suo, vocabulum *Ioduth* arcessendum judico, cujus necdum memoria è sermonibus popularium meorum excessit: præsertim, cum ab inopino deprehensi infortunio, numen exitio advocant

cant averruncando. Quin etiam, si quem fuga abstulerit homicidii reum, collocato apud prætorium cæsi cadavere, & vulnere, quod in mortem patuit, detecto, inter alia exclamationum horribilia, quas, ex interfecti persona, magistratus ingeminat apparitor, identidem majore sono *Ioduth* vociferantem audias. Omissis aliorum ambagibus, regiâ grassemur viâ, & sine ullo flexu vocis aut imutatione, *Ioduth* ex *Io* plerisque mortalibus usitata exclamandi formula, & summo Deorum *Duth* in unum confluisse vocabulum, vel opinari, vel scire etiam audeamus. Passim hæc veræ scintilla religionis inter ethnicos emicuit, ut, quanquam singularis Dei memoriam inter prospera oblitterarent, eundem tamen inter ambigua & inextricabilia cierent: quasi veritas, ipsa cogente natura, ab invitis erumpere pectoribus amaret. Adamus Bremensis de Sueonibus: *Si quando præliantes in angustia positi sunt, ex multitudine Deorum, quos colunt, unum in auxilium invocant.* Lactantius Divinarum Institutionum lib. II. cap. I. *At verò si qua necessitas gravis presserit, tunc Deum recordantur: si belli terror infremuerit, si morborum pestifera vis incubuerit, si alimenta frugibus longa siccitas denegaverit, si sæva tempestas, si grando ingruerit: ad Deum confugiunt, à Deo petitur auxilium, Deus,*

ut subveniat, oratur. Si quis in mari vento saviente jactatur, hunc invocat: si quis aliqua vi afflicatur, hunc protinus implorat. Ac pauculis interjectis: Nunquam igitur Dei meminerunt, nisi dum in malis sunt. Postquam metus deseruit, & pericula recesserunt, tum verò alacres ad deorum templa concurrunt, his libant, his sacrificant, hos coronant: Deo autem, quem in ipsa necessitate imploraverant, ne verbo quidem gratias agunt. Pleraque in ea serie calamitatum talia sunt, ut, ad improvisos eorum impetus, ne hodiè quidem antiquissima Dei obtestatio *Io Duth* animos aut ora nostratum deserat. Quò minùs videri absolum debet, si melioribus postea sacris initiati, exuere consuetudinem ejusce formulæ neglexêre: quæ ad hunc modum enodata, nihil ferè, præter antiquitatem vocis, inominati continet aut explodendi. Quamquam, si erroris haud omnino fœcibus careret, commune propemodum incautæ mortalitatis vitium esset, cœlestem claritudinem segniùs admittentis, & ejuratâ gentilitate, umbras ejus & inania retinentis. Ita Saxones, quod Bedæ proditum, Oostera quandam in classem retulerant Dearum, cui sacra quotannis, Aprili recurrente, faciebant: hinc festo, quod in memoriam mortis à Deo dominóque nostro triumphatæ, eodem mense celebramus, nondum ab ethnicis emanantem depo-

deponere licuit appellationem. Mercurio, viarum itinerumque tutelæ, aggestos è lapidibus colliculos antiquitas dicabat : ejusce rei vestigium hodiè que majores inter Caucos apparet, & ritus nihil tale cogitantibus est relictus : de quo mox plura sese offerent dicenda. Præcipuè callum eorum diuturna consuetudo moribus obduxit, qui seriùs ex errorum eluctati sunt anfractibus, &, junctis suadelæ docentium armis, inviti quodammodo ac repugnantes, sacris sese melioribus addixêre. Quod eorum è plebe superstitiones indicant : qui tertio, aut quarto abhinc seculo, Crucigerulorum direptionibus fatigati, victas quidem religioni dedêre manus : sed infelicis paganismi tot in abdito cerimonias servant, ut alieni propemodum à sensu cœlestissimi mysterii videantur. Neque pueros hujus nævi majores nostros dixerim, Caroli, qui Magni cognomento noscitur, invicta felicitate compulsos, ut, posita septem lustrorum obstinatione, qualemcunque sanctioribus institutis aditum præberent. Testes sunt eorum temporum Annales, quantâ non dicam inconstantiâ (nam id facti haud æquat improbitatem) sed exagitatarum concursatione mentium, atque truculentia, à dicto regi sacramento resilierint, non aliam fermè ob causam, quàm quòd adolescere per regiones

suas Christianarum coitionum sacraria, juxta cum invitissimis ferrent. Immo, cum ad Unwanum Archiepiscopum historiam suam Bremensis perduxisset Adamus, *ille, inquit, omnes ritus pagánicos, quorum adhuc superstitione viguit in hac regione, praecepit funditus amoveri.* Utique praesulum nostrorum duodecimus erat Unwanus, & eo rerum potente sacrarum, annum ab auspicio sui ducentessimū vigesimum quintum Ecclesia nostra numerabat. Neque tamen impietatis favissam atavorum vitavere disciplinam: quod insigniter ex eo loco clarebit, quem ex eodem postea scriptore de lucorum reverentia proferemus. De summate Caucorum Deo, immenso illo & immutabili, diximus: ad medioximos, ut sic loquar, & infimates, quales, cum gentium plerisque, stulta sibi finxere persuasione, disquisitio propagetur. Mercurium Caesar, ac Martem, quo loco Deos ingreditur exhibere Germani, penitus è commentatione sua proscribit. Tacitus verò tum in Germania, tum in lib. XIII. Annal. minimè sibi silentio transmittendos existimavit. Quippe Caesaris ævo, qui sesqui-seculo circiter Cornelianam scriptionem antevertit; haud perinde Germaniæ mores enotùere, quàm Corneliano, quod magnam ejus partem superatam maximam bello perlustratam sciebat.

Et

Et quorsum aliquis horum demiretur ἀλληλομο-  
χίαν, qui tot annorum interstitio discedere,  
cūm, quos eadem tempora, locique, videre  
scribentes, in diversa judiciis ac narrationibus  
ire, sit observatum. Sed in hæc minimè nostra  
se dissertatio diffundet. Habitandum enim no-  
bis in Caucis est: utut, liberos impetus se-  
quendo, subinde finium obliviscimur regun-  
dorum. Mercurii culti clarum & illustre Cau-  
cis in Majoribus exstat documentum, si, quod  
honoris ejus antiqui repererunt, attendere non  
nolimus institutum. Lapidum strues in publi-  
cis accumulabant viis, quæ sensim à viatoribus  
auctæ, in colliculorum erigebantur altitudi-  
nem, & à Deo, cui sacræ erant, Ἑρμῆϊα, vel  
Ἑρμῆϊοι λόφοι indigitabantur. Hesychius: Ἑρ-  
μῆϊοι λόφοι, τὰς σωρὸς τῶν λίθων Ἑρμῆος, τὰς ἐν ταῖς ὁδοῖς  
γενομένης εἰς ἑμὴν ἔρημον. ἐνόδιον γὰρ. Id est, Mercu-  
rialis tumulus significat acervos lapidum, per viam  
existentes in honorem Dei. nam positus in viis est.  
Uberius eadem Homeri tradidit interpretes Eu-  
stathius, ad versum Odyss. π.

Ἦδη ὑπὲρ πόλιον ὄρε Ἑρμῆϊον λόφον ἔστιν,

*Paullum supra urbem, quæ collis prominat Herma.*

Οἱ δὲ φασι, ὅτι Ἑρμῆϊον λόφον σωρὸς λίθων ἔστιν ἐνόδιον,  
ἢ βωμὸς, ἢ λόφον ὑποκείμενον Ἑρμῆϊ ἀνδριάντι. Ἄλλοι ὅ-  
νομασιν Ἑρμῆϊας κρινῶς λόφους, σημεῖα ὁδῶν καὶ ποσὶν ἵνα  
ἀφίστασιν μυλιασμεῖ τυχόν ἢ σταδιασμεῖ. Ἑρμῆος γὰρ φασι  
πρωτόν οἷα κήρυξ καὶ ἀφικέτορ καὶ ἀφίπτερος τὰς ὁδοὺς εἶπε λί-  
θους ὄρεν, ἀπεκείθη ἔξω ὁδῶν. ὅταν τὰς τοιαύτων τε ποιῶντας, ἐ τὰς



ἀδὲς τῶν Ἑρμῆ ὡς Δακτύλων ἐπιγεθαίροντες, εἰς ἑμὴν Ἑρμῆ  
τὴν τοιούτων λίθων σωρὸν Ἑρμῆα ἢ Ἑρμῆος λόφος καλεῖν.

Quæ sic interpretor: *Alii dicunt, quòd Mercurialis tumulus sit acervus lapidum in via collocatus, aut ara, aut tumulus Mercurii subjectus statuae: alii vero Mercuriales communiter accipiunt tumulos, pro signis viarum, juxta aliquantam earum intercapedinem, miliarifortean aut stadio respondentem. Ferunt enim, primitus Mercurium, tanquam caduceatorem, & internuncium, purgandis itineribus, lapides, si quos inveniret, extra viam seposuisse: unde existimant, si quid imitentur, & internuncio Deorum Mercurio vias expurgent, eos in honorem Dei ejuscemodi strues Hermæa, vel colles Hermæos appellare. Deinceps ex eo ritu mysterium effodit, quòd, sicut è multorum congerie lapillorum tumulus exurgit, ita per syllabas & dictiones ad perfectionis gloriam oratio, cujus dominus est Mercurius, adscendat. Eo verò, tanquam scrupulo nimis atque stramentitio, repudiato, illi Hesychiòque, & Suidæ, è Græcorum classe, consentientem adjungimus Epigrammatarium:*

Γερὸν Ἑρμῆ μὲ πρὸς εἰχονίης ἔχδου  
Ἀνθρώποι λιθινὸν σωρὸν.

*Mercurio sacrum me prætereuntis adauxit  
Dextra lapillorum cumulum.*

Et è Latinis Isidorum: *Mercurius lapidum congeries*

<sup>caurmine</sup>  
*ries in carmine collium.* Nec Ebraeorum nugivendulos fugere pervulgatus inter populos ritus potuit. Scriptum enim in Glossis Thalmudicis est: *Sunt gentes, quæ colunt lapidum acervum, quem מרקולים Mercolis vocant. Cultus autem hujusmodi est: Quisquis venit, projicit lapidem in acervum illum.* Hæc, de collibus Hermæis, arcessenda nobis ex antiquitatis moribus fuere, ut relicta eorum in posteris Caucorum vestigia, quæ longa nequivit hætenus confundere dies, tantò se liquidius unicuique patefacerent. Videre est enim eximiæ celsitudinis tumulos, Bremam inter, & præfulis arce nobilem Fordam, è lapidibus accumulatos, & quidem *ενοδης*, hoc est, in ipso propemodum militarium margine viarum. Tum & ii, quibus iter isthac faciendum est, ut solent sæpe tædia viarum non fabulis modò dispungi contumantium, sed & repetitis è domestica antiquitate ludicris levare, suum quisque colliculis istis lapidem adjiciunt, & indies è magnis faciunt majores. Cœptam pertexere telam audeamus. Qui Græcis *Ερμης*, Romanis Mercurius, eum, domi nato vocabulo, *Vvoda* Germanis appellatum ferunt: pro quo Lipsius, apud Paullum Diaconum, *Vvonda* rescribendum putabat: quod si modernorum non displicet acrimoniæ judiciorum, prope est, ut à vulneribus & cæ-  
 de,

de, tributum Deo nomen opiner: quia *wonde* pro vulnere Germanorum usurpare lingua consuevit. *Wondæ* verò, seu Mercurio nostrati, divisum cum Marte bellorū ac certaminum imperium fuisse, nec Tacitum latuit, Annal. XIII. sic scribentem: *Sed bellum Hermunduris prosperum, Cattis exitio fuit: quia victores diversam aciem Marti ac Mercurio sacravere: quo voto equi, viri, cuncta victa occidioni dantur.* Nec Bremensis in Ecclesiastica Historia præteriit Adamus. Sueones enim, qui fugatarum superstitionum reliquias in Septentrionis sui diutissimè servavere secretis, inter profligatorum numinum alia, etiam tum, Adamo florente, *Wondam* retinere, *qui bella, inquit, regit, hominūque virtutem ministrat contrainimicos.* Deinde, quem admodum pesti averruncandæ Thor, & solennitati fortunandæ nuptiarum, advocant Fricconem, ita bellorum in ambiguis *Wondam* eos implorare ducem memorat. Fricconis vocem Rerum Britannicarum scriptores *Frea* molliùs prolatam docent, atq; id numinis Saxonibus, ad quos Angli suos referunt natales, adoratum pro cupidinum matre fuisse: unde & Angli diem cognomento ejus insignem *Friday*, sicuti nos *Freitag*, ne nunc quidem appellitare dediscunt. Id quod ad nostræ fulcimentum protulimus sententiæ. Nam, sicuti *Frea*  
dicta

dicta est à *Freien*, quòd amorum præses ipsa crederetur ac domina, sic ab operum suorum haud postremo denominatus est *Wōda*, quòd, in sanguinem ac vulnera prorumpente, mortaliū iracundia, partem curarum cum *Gradivo* capefferet patre. Numen autem, cui supparem Marti sunt admetiti dignationem, pro vernacula quidem Romanam admittere nomenclationem potuit, quando bellicæ virtutis hucusque claritudinem extenderunt, de quo in superioribus affatim est anquisitum: sed & reliquæ ejus nominis oppidò sunt in *Chaucide* tenues, &, si quæ probare se modestioribus queant ingeniis, eas multò confidentiùs à *Germanorum* rege *Marso*, quàm à *Marte* deduxerim Latino. Quemadmodum *Dithmarfos*, à *Caucis Albi* interluente secretos, & oppidum *Germaniæ* non unum, nomenclaturas suas à tali crediderim hausisse principio. Interim, *Martem* in *Caucorum* irrepsisse religiones, non magnâ vestigabundus aliquis operâ deprehendat è *Witechindo*, qui lib. 1. *Saxonibus* habitum pro numine *Martem* fuisse demonstrat. Necessè est enim ad expiscandum ea, quæ nullius industria scriptoris in posteritatem transfudit, à postremis ad prima regredi, & è recentioris ævi moribus æstimare præcedentium seculorum vetustatem. Neque verò de nihilo est,

est, quod immiscuit historiæ suæ Witechindus, Saxonum Deos auxisse Martem *secundum errorem paternum* : ut hanc, quasi traditam per manus, à majoribus acceperint superstitionē. Hesus aut Hessus, indigenæ Mars Germano vocabatur. Numquid publicam illi dicatam trivère nostri viam? Carolus in diplomate, quo Bremana limitat : *Dehinc ab Orientali parte ejusdem fluminis viam publicam, quæ dicitur Hesseweg*. Et omnino plura panderēt sese quæritantibus antiquorum indicia morum, nî, ut cuncta rerum, sic ipsa quoque nomina locorum, temporibus atque mutatione domita, perîssent. In eodem Diplomate : *Huic parochia decem pagos subjecimus, quos etiam abjectis eorum antiquis vocabulis & divisionibus, in duas redegimus provincias, his appellantes nominibus, VVigmodiam & Lorgoe.*

## C A P. IV.

*Gentilitatis audentia, cœlitibus illustres famâ viros inferentis. Cœlum humano genere repletum. Herculem Germanus admirabatur. In ejus nomen adscitum, quidquid ubique magnificum. Herois Arminii sacrata venerationi columna. Ermensul, in Saxonibus. Humanitatis prodigia principes, qui interesse divinitati suæ voluere. Partim id amoliendo mortis horrore repertum, partim augenda majestati. Coli voluit effigie numinum Augustus. Structum Tiberio delubrum. Mario superstiti libatum, Octavioque.*  
Sape,